

S. VEDASTVS ATREBATENSIS PRAESVL.



SVEDASTUS tempore Clodouei regis Franco-
rum magno ardore Christum annuntiabat
ad Rhenum fluuium Germaniae. Accidit autem
tum ut rex Clodoueus celebrē uictoriā de Ale-
mānis potiretur, atq; uoti reus factus fidem Chri-
stianam amplecteretur. Itaq; à S. Vedasto & Re-
migio rex cū suis proceribus instructi baptisma
suscepereūt. Postea Vedaſtus ob uitæ & doctrinæ
puritatē Atrebatenſis præſul ordinatus est. Ibi
idola gentium extirpauit, atq; templa in Christia-
norū ūsum conuertit. Hinc fabula illa apud Vin-
centium monachum libro 22. capite 10. orta, quod
in ruinis ursus deprehensus, & à S. Vedasto exe-
cratus fuerit. qui ſyluam petens posteā nunquam comparuit. In ea autem Ec-
clesia Vedaſtus per quadraginta annos præfuit, anno Christi 540. Tum enim
annis & laboribus consumptus, cum suam functionem optimè adminiftraſ-
ſet, animam suam Deo commendauit. Spec. Hist.